

D. Hieron.

monem intelligibilem, ut sciatur, & intelligatur ab omnibus, aliis erit in cetera loqui. Confirmatur, quia D. Hieronymus veteri sacras Scripturas in linguam Sclavonicam, aut Dalmaticam, ut in lingua sua eas homines intelligerent.

560. Respondetur, quod Apostolus ibi non agit de translatione librorum sacrorum, sed de concione, ac praedicatione quam Antistes solebat facere, qua finita Auditores de divinis mysteriis miscebant sermonem; & quia aliquando multi tumultuantes loquebantur, & nihil distincte percipiebant, sed erat multa confusio, ideo ut Apostolus eos instruat, exhortatur ad claram, & distinctam colloquutionem, ut unus, vel alter loquatur, & postea alii, ita omnes capiant quae dicuntur.

561. Ad confirmationem, negatur talem versionem factam fuisse, quamvis illam teneat Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecae nec ex Epistola D. Hieron. ad Sophronium, quae est 134. tale potest colligi, ut legenti patebit; sed tantum Sanctus Doctor ait translationem Septuaginta diligentissime emendam, olim suae gentis hominibus dedisse; & esto demus, quod in Dalmatica lingua scriptura dedit, hoc fuit privatim, non vero publice, ex nulla historia constat, quod scriptura in lingua vulgari legeretur publice in Ecclesia.

562. Tertiò arguunt. Quoniam in cap. quoniam in perisque de Officio iudicis Ordinaris, Innocentius III. praecipit, ac ordinat, ut quando in aliqua civitate populi diversarum linguarum reperiantur. Episcopus provideat, de idoneis ministris qui in diversis linguis populos doceant, & instruant, ergo videtur sentire expediens esse scripturas in propria lingua habere.

563. Respondetur, in Concilio Lateranensi optimè provisum fuisse, ut una civitas, aut diocesis, non duos Episcopos sed unum tantum habeat, qui in civitatibus, & maxime maritimis, ubi sunt diversae, & variae nationes, quae habent diversas linguas, diversis quoque ritus verbi gratia, Graeci, & Latini, ut provideat ministros idoneos, qui unicuique valeant ministrare Sacramenta, juxta suum ritum, & linguam ut verbi gratia, bene confectarii, & poenitentes intelligantur, non in se sequitur, quod talia sacramenta sint administranda in lingua vulgari; alias cum hoc Decretum promulgatum fuisset in Italia, sacramenta, & officia divina fierent non Latine, sed Italicè, quod nunquam est factum, de quo videndus est Barbosa ad dictum caput quoniam, Ludovico Gomez in Regulas Cancellariae de idiomate, Camillus Borel, de Regis Catholici praestantia, cap. 51.

Barbof. Gomez. Camillus.

564. Quarta; Apostoli in die Pentecostes: Loquebantur variis linguis magnalia Dei. Actor. 2. Variisque linguis praedicabant, juxta unamquamque nationem; ergo & licet Scripturam vernacula lingua haberent, si verbum Dei non inquinatur, dum vulgari lingua praedicatur, nec etiam dum vulgari lingua scribitur. Negatur consequentia, nam verbum Dei, dum praedicatur, secum involvit explicationem, quam omnes capiunt; ac cum scribitur, nudum scribitur, & inae ab omnibus non capiunt verbi gratia; matres dant infantibus

panem dissectum in particulas ad manducandum poterunt dare etiam panem integrum, & solidum, sed non erit aptum, ut ab infante manducetur; sic non licet argumentari. Verbum Dei datur populis explicatum à concionatore; ergo etiam debet dari in lingua vulgari sine explicatione; incepta, & invalida est consequentia.

565. Quinò. Valde indecens est, ut populus labiis solum Deum honoret; cor autem longè sit ab illo, quia quod legit, aut orat, non intelligit. Quod graviter reprehendit Dominus, Math. 15. num. 8. Isai. 29. num. 13. ideo Paulus 1. Cor. 14. num. 14. Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem sine fructu est; ac si dicat ex oratione non intellecta nullam utilitatem orans consequitur; ergo conveniens est, ut scriptura detur in lingua vulgari, ut orans fructum capiat.

Respondetur, quod non sequitur illatum, quia qui non intelligit, mens longe sit ab eo, quia quamvis non intelligat, orat intentione, totam suam mentem in Deum dirigendo. Ad locum Pauli, orans licet non intelligat, & prout fructu intelligentiae, tamen ut ait ibi D. Thomas, habet fructum impetrationis, ac spiritualis consolationis; vel mens sine fructu si distrahatur in plura, & ideo non sufficit tantum orare, sed spiritu, & mente; & ideo Apostolus, n. 15. Quid ergo orabo, spiritu orabo & mente. Vel tertiò dic, sufficit quod Deus, ad quem dirigitur, eam intelligat, etiam si vocum significationem orans ignoret, sufficit quod oret in fide; quod explicat Origenes homilia 20. in Josue, exemplo medici, qui in cibo, & potu dat aliquid infirmo, quod illi prodest, etiam si cum illud edit, aut bibit, non sentiat salutem. Sic ait Origenes: Scriptura sancta utilis est, & anima prodest, etiam si sensus noster ad praesens intelligentiam non capiat. Eodem modo D. Augustinus lib. 6. de D. Augusti. Baptismo, cap. 25.


565.

Math. 15. Isai. 29. 1. Cor. 14.

D. Thom.

Origenes

D. Augusti.



RESOLUTIO V.

De praestantia, ac excellentia legis Gratia, ac ejus Canonice Scripturibus.

De excellentia Evangelii, ac quid, & quotuplex sit, ac de sacris Evangelistis in particulari Mathæo, Marco, Luca, ac Joanne, jam tractavi tom. 1. in Evangelia in Praemio, & quamvis ibi, dicta sint, quae sufficiunt, tamen hic aliter examinanda, & multa ex dictis repetenda.

QUESTIO PRIMA.

Quanta sit celsitudo, ac praeminentia legis Graeciae super veterem?

SUMMARIUM.

566 De fide lex Gratia perfectior lege veteri. 567 Prima

- 567 Prima excellentia, lex gratia, habet media ad justificationem, quibus carebat lex veteri.
- 568 Secunda excellentia, lex gratia ratione sui status habet media ad gratiam, ac satisfactionem.
- 569 Tertia excellentia, in lege veteri dabatur gratia ex pretio persolvendo in lege nova ex pretio persoluto.
- 570 Quarta excellentia, lex nova maxime superat veterem in Legislatore.
- 571 Quinta excellentia, ex parte objectorum credibilium.
- 572 Sexta excellentia, lex veteri fuit in umbris, & figuris, lex gratia in apertis, & manifestis.
- 573 Septima excellentia, ex parte sacrificii quod non est ex sanguine hircorum, aut taurorum, sed ex corpore, & sanguine Jesu Christi.
- 574 Octava excellentia, lex gratia finis legis veteris.
- 575 Nona excellentia ex parte forma, quia lex scripta fuit in tabulis lapideis, lex gratia in corde, ac visceribus.
- 576 Voluit tamen Christus, ut post ejus mortem darentur Scriptores Evangelici.
- 577 Decima excellentia, Testamentum vetus servorum, novum filiorum.
- 578 Undecima excellentia, testamentum vetus timoris, novum amoris.
- 579 Duodecima excellentia, Testamentum vetus jugum grave, novum suave, & leve, & num. 560.
- 581 Tertiodecima excellentia, Testamentum vetus temporalia promittebat, novum spiritualia, & aeterna pollicetur.
- 582 Quarta decima excellentia, Testamentum vetus imperfectum novum undequaque perfectum, & num. 583.
- 584 Quinta decima excellentia, Testamentum vetus nisi tantum populo datum est; novum vero universo orbi.
- 585 Denim sextae excellentiae, Testamentum veteris temporale, quod cessavit, novum aeternum, & num. 586.
- 587 Decima septima excellentia de potentia ordinaria non potest dari perfectior lex

oblationes, ritus, & caeremonias, quae non sanctificabant; nam remedium legis naturae datum fuit Adamo. Circumcisio Abrahamo Genes. 17. ut notant Angles; Faventin. & alii in quo sensu explicant Concilium Florentinum, ut dixi Opusculo primo, Resol. 3. questione 12. num. 103. & ideo ait Paulus Hebraeor. 7. numer. 19. Nihil ad perfectum adduxit lex. Et in lege naturali erat illud tantum remedium naturae pro parvulis ex generali Dei providentia, ac communi necessitate; pro adultis nullum tamen erat Sacramentum. At in lege gratiae septem sunt Sacramenta, quae conferunt gratiam, non ex opere operantis tantum, sed etiam ex opere operato, unum pro parvulis, & sex pro adultis, de quibus loquens Isaias 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Divus D. Hieron. Hieronymus ex Hebraeo vertit de fontibus Jesus, quibus aquis salutaribus anima lavatur, mundatur, ac purificatur in omni justitia, ac sanctitate, ut ad summam perfectionem veniat. Et inde dicebat Christus Dominus suis Apostolis: Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester perfectus est. Math. 5. num. 41.

Genes. 17. Angles. Florent. Hebr. 7.

Isai. 12.

Math. 5.

Secunda excellentia, legis gratiae, quia ex vi sui status, ac ex vi sui Legislatoris habet vim ad dandam gratiam ad bene operandum, ac etiam habet vim ad satisfaciendum, quod non habebat lex veteri, nec ratione sui, nec ratione sui status. Probat, quia lex gratiae includit formaliter merita Christi Domini, ut praesentia, & realia, quae habent vim ad justificandum, ac satisfaciendum. Quia ut ait Petrus Actorum 4. Neque enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo nos oportet fieri, nisi tantum in nomine Jesu. At lex veteri: idem est de lege naturae, non includebat merita Christi ut praesentia, sed tantum ipsa respiciebat, ut futura, & sic ratione sui non dabat gratiam, sed benignitate Dei ipsam largiebatur, propter merita Christi praevia; per anticipatam solutionem ad ipsa Christi merita; ac lex gratiae includit ipsa merita Christi ut realiter praesentia, & ut jam exhibita; ergo ratione sui status habet dare gratiam, & ideo lex nova meritiò dicitur lex gratiae, & in ea non datur gratia ex benignitate, sed ex justitia, quia quamvis per respectum ad nos, qui ipsam gratiam accipimus, sit mera gratia, tamen per respectum ad Christum caput nostrum, qui ipsam meruit, fuit opus justitiae, imò & toto rigore justitiae, ut communiter dicunt Theologi in materia de Incarnatione.

568.

Actor. 4.

569.

Tertia excellentia, in lege veteri dabatur gratia ex pretio persolvendo; ac in lege gratiae ex pretio jam persoluto, qui est excellentior, & nobilior modus habendi, sicut illustrius, & excellentius est accipere rem data pecunia in manu, quam eam accipere ex gratia creditoris ex pecunia in futurum danda, veluti defuero, ut vulgo dicitur.

Quarta excellentia; quia licet utraque lex veteri, & nova data sit à Deo, tamen in Auctore promulgatore, ac ministro proximo, & immediato,

570.

566.

D. Thom. Soto. Salmeir.

Bellarm. Vasquez. Suarez.

567.

De fide certum, legem novam, seu gratiam, esse perfectiorem, & excellentiorem lege veteri, ut expressè docet Apostolus ad Hebraeos 7. 8. & 9. de quo late agunt multi Theologi, Divus Thomas 1. 2. tota quaest. 107. Ibi ejus commentatores, Soto in 4. distinct. 2. quaest. 1. artic. 4. Salmeyron, tom. 5. in Evangel. tract. 1. super epistol. ad Roman. disp. 29. Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei, cap. 18. Vasquez 1. 2. disp. 183. cap. 2. Suarez lib. 10. de legibus, cap. 8. per totum, quod breviter probatur ostensis multis excellentiis legis gratiae. Prima excellentia. Quia summa hominis viatoris perfectio, est illius justificatio, ac sanctificatio; atqui lex veteri ex se nullum importabat medium ad justificationem, ac sanctitatem, ac lex gratiae multa adhibet media ad sanctificationem; ergo multo perfectior est lex gratiae. Major est evidens, minor probatur quoad primam partem, quia lex veteri solum ex se includebat sacrificia, Syzeira Opuscula.

diato, per quem Spiritus sanctus loquitur, longissimè novum testamentum præstat veteri. Ait Joan. 1. num. 27. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.* Lex vetus fuit data per Moysen tanquam per ministrum; ac lex gratiæ, seu gratiæ, & veritas data est per Jesum Christum, non tanquam ministrum, sed tanquam factorem, Auctorem ipsius gratiæ & veritatis; *Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est* ut late explicavi tom. 6. in *Evangel. ad cap. 1. Joan. questione 2.* Deinde Deus legem antiquam dedit, promulgavit per Moysen, & prophetas, nunc verò in lege nova per unigenitum filium suum Jesum Christum, ut ait Paulus Hebræor. 1. num. 3. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio, qui in immensum, ac infinitum, Moysen, & Prophetas excellit.* Deinde ministri legis veteris fuerunt Prophetæ; ministri verò legis Evangelicæ Apostoli, qui maximè excellent Prophetas. Ideo Paulus primum locum dat Apostolis, secundum Prophetas. 1. Corinth. 12. num. 28. *ad Ephes. 4. num. 1. & Prophetæ fuerunt ministri in uno populo, parvo, ac limitato, Apostoli constituti sunt Principes super omnem terram, & in omnem terram exivit sonus eorum.*

Hebr. 1.

1. Cor. 2. Ephes. 4.

571.

Quinta excellentia ex parte materiæ, ac objectorum credibilium; lex vetus unum Deum colendum, ac adorandum proponebat; Trinitatisque mysterium, ac Christi conceptionem ex Spiritu sancto valde in umbra cognoscebat; ac lex nova, Deum unum in essentia, & Trinum in personis prædicat, sicut & Christum Jesum ex Spiritu conceptum profiteretur, eoque vitæ sanctissima mysteria mortis, Passionis, Resurrectionis, Missionemque Spiritus sancti, conversionem, ac vocationem omnium gentium, quæ valde obscure, ac tenuiter rationantur Prophetæ. Quæ omnia clarè & aperte nos docuit, ac declaravit Christus Jesus Joan. 1. num. 18. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ideo enim unigenitus Dei filius è sinu Patris in sinum Matris factus homo descendit, ut arcana Patris ipsi soli cognita nobis enuntiaret; inde Apostolus Paulus ait 1. Timoth. 3. num. 16. *Magnum pietatis Sacramentum manifestum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, predicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

Joan. 1.

1. Tim. 3.

572.

Sexta excellentia. Quia lex vetus fuit quid adumbratum, ac figuris reatum; ac lex gratiæ quid apertum, clarum, ac manifestum; quantum autem vivi, & perfecti colores excedunt primas lineas, tantum claritate, ac perspicuitate, legi veteri præcellit novæ; inde Moyses velata facie erat Exod. 34. num. 32. *Hinc Sanctum Sanctorum velo obtegebatur. Exod. 30. n. 6.* Hinc etiam omnia vasa ad ministerium templi constructa, recta, velataque erant, ut habes ex Lactantio lib. 4. cap. 20. Ait D. Paulus Hebr. 9. n. 16. *Ubi enim testamentum est mors necesse est intercedat testatoris.* In veteri illa lege ceremoniæ, sacrificia, & obscura Prophetarum

Exod. 34. Exod. 30.

Lact. H. br. 2.

rum oracula, erant clausa, & sigillo obsegnata, suis multis umbris, & figuris, *Omnia in figuris contingebant illis* ait Apostolus 1. Cor. 10. n. 11. 1. Cor. 10. At Christi morte omnia aperta, manifestata, ac referata sunt; *Hinc scissum est velum templi.* Matth. 27. n. 51. & librum signatum sigillis sepiem, quem nemo poterat aperire, nec respicere illum, *Agnus tanquam occisus inventus est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus.* Apoc. 5. n. 6. & Christus aperuit suis Discipulis sensum, ut intelligerent Scripturas. Luc. 24. n. 45. & Christo præsentem visum est cælum apertum, quod nunquam antea legitur factum Matth. 3. n. 16. & Joan. 1. n. 51.

Septima excellentia, ex parte sacrificii. In unaquaque lege sive vera, sive falsa fuit aliquod sacrificium tanquam signum protellativum excellentiæ illius Dei, quem adorabat, ut docet D. August. lib. 1. contra Adversarium legis, & Prophetarum, cap. 18. & epist. 49. ut late expendi tom. 3. in *Evangelia, cap. 35. n. 3. 2. n. 222.* Ex quo rectè D. Paulus ex sacrificio legis veteris extincto probat ipsam legem veterem, ejusque Sacerdotium omnino extinctum, & abolitum, ait ad Hebr. 7. n. 12. *Translatio Sacerdotii necesse est, ut & legis translatio fiat.* Nota consequentiam necessariam *Necesse est*, quia ut notant ibi Chrysostr. Theodoretus, Theophylact. intrinsicum, & connaturale est unicuique legi suam sacrificium, ac Sacerdotium nam Sacerdotium ad sacrificium ordinatur; lex verò, & Sacerdotium ad sacrificium tanquam ad suum principale actum, quem respicit, tradendo ritus, & ceremonias ad illud peragendum, ac proinde est quid primum, & principale totius legis, à quo tota ejus nobilitas desumitur. Sacrificium autem legis veteris constabat ex sanguine hircorum, aut vitulorum. Hebr. 9. num. 12. At sacrificium legis gratiæ constat ex pretiosissimo corpore, ac sanguine Christi Domini de quo loquens Apostolus Hebr. 9. n. 14. ait: *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum, semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Et licet in immensum sanguis Christi superat sanguinem hircorum, & taurorum, sic lex gratiæ in immensum superat veterem.

Hebr. 6.

Hebr. 7.

574.

Oitava excellentia, Finis perfectior, ac nobilior est, quam ea, quæ ad finem sunt; atqui totum testamentum vetus ad novum ordinabatur, tanquam suum finem, & ideo rectè ait Paulus Rom. 10. n. 4. *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Syriacus legit: *Scopus legis Christus* quia tota lex ad Christum ut ad finem terminum, ac scopum referebatur, quia ut explicat Divus Augustinus lib. 2. contra Adversarium legis cap. 7. Divus Gregorius homil. 16. in *Ezechielem.* Omnes umbræ, figuræ legis, in Christo sunt adimpletæ, in ipso tanquam in suo termino cessant, etiam in hoc sensu idem Apostolus 1. Corinth. 10. num. 11. Postquam numeravit aliquas figuræ legis veteris subdit, *In quos fines sæculorum deveniunt: fines sæculorum dicit tempus Adventus Christi, Tale tempus appellant Prophetæ fines sæculorum, ut notant Benedictus Justinianus, & Cornelius à Lapide, nam Adventus Christi fuit finis sæculorum illius antiquæ legis; nam tota ipsa in Adventu Christi cessavit*

Rom. 10. Syriacus.

Joan. 1.

575.

D. August. Jerem. 31.

Exod. 34.

Rom. 5.

1. Cor. 3.

D. August.

Rom. 2.

Rom. 5.

Rom. 7.

Rom. 2.

1. Cor. 3.

576.

577.

D. August.

Rom. 8.

cessavit, finivit, ac terminata est, & ad hunc intentum adducunt citati Auctores illud ex epistol. 1. Joan. cap. 2. num. 18. *Filioli novissima hora est.*
Nona excellentia ex parte formæ, quia lex vetus scripta fuit in tabulis lapideis, & lex gratiæ in corde & anima, quod probat, & confirmat D. Augustinus lib. de Spiritu, & littera cap. 19. ex verbis Jeremiæ 31. num. 32. *Ecce dies veniunt, & consummabo super domum Israël, & super domum Juda, Testamentum novum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de manu Ægypti; quia ipsi non perseveraverunt in testamento meo, & ego neglexi eos. Post illos dies, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum.* Ubi Propheta constituit discrimen inter legem, quam Deus dedit patribus in tabulis lapideis, Exod. 34. num. 4. & legem, quam de præsentem in novo testamento scriptam in visceribus eorum, ac in corde eorum. Moyses ut minister dedit tantum legem scriptam in tabulis, secluso omni Spiritu, & gratiæ dono, quod ipse præstare non poterat; at in novo testamento Christus Jesus ejus legislator, Auctor, & conditor gratiæ, Et eam per Spiritum sanctum diffundit in cordibus nostris. Roman. 5. num. 5. quo quasi digito Dei lex nova fidelium inscribitur mentibus; unde meritiò Joannes Baptistæ ait jam supra datus, *Lex per Moysen data est: Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.* Ubi aperte indicatur, quod Moyses dedit tantum legem ut litteram mortuam; Christus utpote verus Deus dat gratiam, & veritatem promissorum celestis beatitudinis, ac æternæ patriæ. Et ad hunc sensum ait Apostolus 2. Corinth. 3. n. 6. *Littera occidit, spiritus vivificat.* Quem locum explicat Divus Augustinus lib. de Spiritu, & littera cap. 4. Quia Moyses dedit legem tanquam litteram mortuam, quia gratiam dare non poterat, sine qua lex non poterat observari; ac Christus Dominus simul cum lege dedit spiritum gratiæ, & sanctitatis, qui vivificat. Ideo Paulus Roman. 2. num. 15. appellat legem Evangelicam *Scriptam in cordibus nostris.* Et cap. 3. num. 27. *Legem fidei.* Et cap. 7. num. 12. *Legem dicit sanctam.* Et num. 14. eam dicit: *Legem spiritualem.* & num. 25. *Legem Dei appellat;* veterem legem passim solum legem dicit, Rom. 2. n. 26. & sæpè scriptam in tabulis 2. Corinth. 3. n. 3. Aliquando litteram. Ibidem n. 6.
Et quamvis Christus Dominus suam legem non scripserit, disposuit tamen, ut post mortem ejus, ejus lex, vita, & doctrina scriberetur à Sanctis Evangelistis, ad firmitatem fidei, stabilimentum Ecclesiæ contra Hæreticos, ac perennem omnium notitiam, ut statim dicam questione sequenti.
Decima excellentia. Testamentum vetus servatum erat; Testamentum novum filiorum, quod docuit Divus Augustinus lib. contra Adversarium legis cap. 16. & ait: *In veteri testamento erant onera servorum; in novo gloria liberorum.* Quod probatur ex Paulo Roman. 8. num. 15. suis discipulis scribens, ait: *Non enim accepistis spiritum servitutis in timore, sed ac-*

cepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater. Ubi Apostolus opponit legem veterem novæ; veterem dicit spiritum servitutis, quia Judæos tanquam servos pœnis, à minacibus supplicii abducebat oculo pro oculo, dentem pro dente, ut notant D. Chrysostr. Theodor. Theophylactus, D. Ansel. legem verò novam dicit spiritum filiorum, quia suavitè, ac leniter præmiis nos allicit Christus, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum, &c. Matth. 5. num. 2. Quod optimè confirmatur ex ipso Apostolo ad Galatas 4. num. 22. *Veteris testamenti umbram fuisse Agar ancillam Abrahæ; & novi Testamenti, & Ecclesiæ Sacram Itheram.* Et quemadmodum ancilla generat filios servos, sic Testamentum vetus præfiguravit in ancilla, servilis conditionis populum procreabat. Testamentum verò novum, id est Ecclesiæ, in Sara littera adumbrata, filio in summa gignit libertatem; & inde profequitur Apostolus *in eam illa, qua sursum est Jerusalem, id est Ecclesiæ; Libera est qua est mater nostra.* D. Anselm. ibi: *In utroque Testamento genuit Deus filios, qui sibi servirent, in veteri Judæos servos, qui timore pœnis, & promissioribus temporalium, serviliter obedirent. In gratia vero novi testamenti liberos qui ex dilectione servirent.*

D. Chrysostr. Theodor. Theophyl. S. Anselm.

Marth. 5. Galat. 4.

D. Anselm.

578. D. August.

Undecima excellentia. Vetus Testamentum fuit timoris, novum verò amoris. D. August. tom. 1. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 28. ait: *Hæc est brevissima, & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor, & amor, & cap. 16. ait: Deus veteri homini fugienti, tanquam Dominus, apposuit, quod timeret; & novo redeunti, tanquam Pater operuit, quod amaret.* Cum Deus olim daret legem, totus Mons Sina terribilis fumabat, densissima caligine circumdabatur, sensus buccinæ perstrepebat, fulgura coruscabant, tonitrua audiebantur, Exod. 19. num. 18. Hebr. 12. *Exod. 19. num. 21.* atque omnia erant terrificæ, ac terribilia. At in novo testamento, tanquam filii charissimi omnia sunt plena amoris, ac benignitatis. De Jeshu dicitur, *Qui pertransiit beneficiendo, & sanando omnes oppressos à diabulo.* Actor. 10. num. 38. quod optimè confirmat Apostolus Hebræor. 12. num. 18. & ait: *Non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & rubeum, & caliginem, & procellam, & tuba sonam, & vocem verborum, quam qui audierunt excusaverunt se, ne eis fieret verbum; sed accessistis ad Sion Montem, & civitatem Dei viventis, Hierusalem celestem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Opposit Apostolus Christianos Judæis, & Montem Sina, in quo lex antiqua est data, Montem Sion, in quo erat templum, & in eo Christus prædicavit, ac suam Evangelicam legem promulgavit, in ipsoque monte Apostoli Spiritum sanctum acceperunt. Inde Sina significat Synagogam, ac legem veterem. Sion Ecclesiam Christianam, ac legem. In Sina, seu in lege veteri omnia terribilia, ac terrificæ, in Sion, seu in lege gratiæ, omnia suavità, præjocunda, ac festiva. Milliarum millium Angelorum frequentiam, pro frequentia legit Græcus *festivam solennitatem.* In Græc. Ecclesiæ Christi Angelorum myriadibus dies festi cum multo gaudio, felicitate, & triumpho, ac júbilo aguntur.